Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2465
Quelle:
Copyright:

Monacho adtribuerit, nisi *Gallum Matthaei* fortasse praenomen gessisse dicas. Magnum *Malogranati* usum fuisse apud Religiosos et vere devotos testatur *Tritbemius*, idque, ut recuderetur, aevo suo *Balbinus* optavit, quod editionum, quae feruntur, annor. 1476. 1481 et 87. vix ulla Exemplaria superesse viderentur.

DCXLIII.

398 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 189. 4. probe scriptus, Frontispicioque et literis Capitum initialibus auro fulgidis et picturatis *Asceticus* est, et ita orditur: *In Nomine sancte et Indiuidue Trinitatis. patris et filij et spiritussancti Amen. Prologus In Orationarium In vita domini nostri Jbesu christi.* Initium: *Sepe rogatus sum vt quomodo simplex Religiosus debeat potissime quantum ad interiorem hominem se habere, et tempus quod extra necessarias occupationes sibi restat, ad laudem dei et salutem anime expendere aperirem* &c. Multos doctos et expertos hoc ante se egisse, sed confidere se in illo, *qui per asinam olim veritatem locutus est* &c. Sequitur *Intentio*, sive Methodus operis; suadetur scilicet sacra lectio, meditatio et oratio. *Et quia à principali debet res denominari Et hic libellus principaliter de oracionibus ait — Ideo vocetur Orationarium* &c. Succedit Elenchus *Capitum* XXXVII. quae de praecipuis Religionis Christianae et Vitae Christi Mysteriis ita tractant, ut in singulis *Meditatio* praecedat et *Orationes* una vel plures eam excipiant. Ita *Capitulum primum De Cogitando Deum* incipit: *Quia Incarnatio, Natiuitas, conuersatio in mundo, Passio, Resurrectio, in celum ascensio, domini nostri Jbesu christi, et spiritussancti missio sunt cause nostre resurrectionis et glorie* &c. Finis totius operis: *et sine fine gracias referentes sanctissime Trinitati simplicique deitati feliciter regnaturi. Quod ipse infinita tua benignitate nobis praestare digneris, qui cum eodem patre* &c. Omnia pia, verum nihil eximii. *Autorem*, in cujus Nomen frustra inquisivi, monastico cuidam Caetui adscriptum e *Prologo*; *Codicem* vero auspiciis Principis *Austriaci* exaratum fuisse e Scuto Gentilitio in fronte adpicto liquet.

DCXLIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 450
Folior. 226. 4. non una manu exaratus Sequentia complectitur: I. *Adnodata* quaedam *Ascetica* de Exercitio Facultatum Animae, de XV. Causis prolabentis Observantiae Claustralis, in quibus est *Parochiarum incorporacio*, de Mediis Observantiam stabiliendi, et pauca e D. *Bernardi* Operibus excerpta.

II. *fol.* 4. p. 2. *Passio anatholie virginis* sequitur. Initium: *Temporibus decij cesaris erant rome sacratissime uirgines christi Victoria et Anatholia, que ab ipsis fuerant cunabulis christiane* &c. Abstineo pluribus; Acta enim haec olim ex

eod.